DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XII. DECEMBRIS.

M. LUDOVICO DEVAUX, Doctore Medico, Præſide.

An diverſo judicentur tempore, qui iidem ſunt ſpecie morbi?

HOMINIS natura ipſius eſt viventis idioſyncraſia, quæ in uniendi ſpirituum interventu corpus cum animâ, certâ ratione conſiſtit, & in legitimâ ſolidorum ſcilicet & fluidorum quibus conſtat proportione. Ex ſpirituum uberrimâ copiâ, firmiſſima unio longiſſima, vis naturæ validiſſima, vitæ diuturnitas. Non diſtinguntur homines niſi peculiari illâ temperie, quæ cùm actionum omnium & motuum intrinſecum ſit principium, partes ſingulas variis facultatibus inſtruit & exornat. Cor perenni ſyſtole & diaſtole ſanguinem in circuitum exagitat: ex cibis præparatur chylus in ventriculo tritu, ex chylo ſanguis coquitur, perficiturque in arteriis & venis. Ex ſanguine cujuſque partis ſubſtantia fovetur, reparatur, augetur indeſinenti, ſed indefinito motu. Quod elleborum & cicuta nonnullis alimentà ſint, aliis venena: quod viſo lepuſculo quidam exhorreſcant, alii anguibus delectentur, quod non ſolùm voce, ſcripturâ, pingendi ratione, ſed etiam vultu ſinguli homines diſcrepent, huic uni acceptum referendum eſt.

ACTIONES corporis promovere animi officium eſt: ut autem citò, tardè, expeditè, ægrè, parcè, copioſè fiant, idioſyncraſiæ, impediri vel expediri ocyùs, ſegniùs, coctiones, excretiones, generationes pro variâ externarum rerum conditione. Conſtat exemplo leguminum quæ faciliùs fluviatilibus aquis, quàm puteanis coquuntur, ab alimentis quoque eupeptis & dyſpeptis, euchymis & cacochymis velociores fiunt coctiones aut tardiores; nec aliundè morbi mitiores fiunt vere, quàm autumno, breviores æſtate quàm hyeme, niſi externi aeris benignitate; eâdem ratione cerealia, ſataque omnia modò citiùs, modò tardiùs germinant, adoleſcunt, matureſcunt: ſed mutationis cujuſque interior cauſa idioſyncraſia eſt, quâ ratione fit, ut qui fluidiorem ſortiuntur alvum in adoleſcentiâ, pigriorem in ſenectute experiantur, mulierum non paucis fluunt purgationes plenâ, pleriſque ſilente lunâ: hîc tempus antevertitur, illîc protrahitur. Nihil in homine conſtans & perpetuum, vita in utero quibuſdam ante trigeſimum, quibuſdam poſt quadrageſimum diem. Partus ſeptimo, nono, decimo, undecimo, nonnunquam octavo menſe vitalis. Qui conformantur die trigeſimo, non ſemper moventur nonageſimo, aut naſcuntur ducenteſimo ſeptuageſimo, nec in tantarum actionum terminis lex ulla definita.

UT inter ſe diverſæ coctiones & ſecretiones, ſic diverſis temporibus obeuntur; & alia victus ratio hyeme quàm æſtate inſtituitur, quod illis tempeſtatibus celeriores contingant, aut tardiores coctiones. Non per-æquè omnibus interdicendum cœna, vel concedendum veſperi uberiùs alimentum dejectiones alvinæ nec ſtatæ nec definitæ. In morbis nec perpetuò ſtatâ horâ antecedunt paroxiſmi, nec definitâ recedunt. Febres acutiſſimæ non ſtatim primo ſeptenario ſæviunt, aut poſt tertium miteſcunt. Fruſtrà quoque earum ſolutionem certis quibuſdam diebus expectes, cùm varia ſint πεπασμοῦ tempora, indeterminata humorum ſecretio, excretio. Religioſæ dierum in morbis obſervationes, ut plerumque ſuperſtitioſæ, ſic ſæpenumero noxiæ, & dùm impari die criſis expectatur, agendi occaſio præterfluit.

OPUS naturæ bene agentis ab utili quod noxium eſt & ſecernentis & expellentis, criſis eſt; hæc humorem morbi parentem, qualem, qua parte, quo tempore excludi convenit, & quantum opus eſt, è corpore eliminat: rarior illa noſtro quàm veterum ævo, non pejoris ætatis aut ſeneſcentis mundi vitio, ſed Medici peritiâ aut imperitiâ, qui imperitè venam ſecat, aut purgat, vel illa prætermittit quæ legitima fieri jubet indicatio, irritatis morbi cauſis & interturbatis naturæ operibus, mortem, non criſim accerſit: at peritus artifex adhibitis initio convenientibus præſidiis, ita morbi vehementiam obtundit & frangit, ut ea paulatim elangueat, cauſis omnibus magnam partem excìſis, ac vitato diſcrimine & periculo quod ab exortâ per criſes inter naturam & morbum pugnâ videtur impendere. Dùm illa coquendis movendiſque feliciter humoribus incumbit, cave ne interpelles aut avertas; quodvis eo temporis articulo exhibitum pharmacum, venenum eſt. Tùm demùm opitulandum puta, cùm ſegniter in coquendo excernendoque humore operatur. Mutuis auxiliis ars & natura ad ægri ſalutem conſpirantes, ſalutarem εὐφορίαν procurant.

HUMANA ſorte ſuperior creditur Medicus in prædicendâ criſi, in curandis graviſſimis affectibus. Nulla verborum vis in morbos, nulla ſeptenarii numeri ad criſes. Naturæ officium eſt poſt edomitum & ſegregatum ac ſepoſitum humorem, criſes moliri, ſed variis & diebus & hebdomadis: vix tamen ante diem tertium, aut poſt vigeſimum primum effatu digna criſis obſervatur. Ex naturæ univerſalis præſcripto, quæ ſe ſe nonnullis legibus neceſſariò adduxit. A tertio ad vigeſimum primum ampla intercedit temporis latitudo, intra quàm variis diebus ab unâquâque naturâ particulari prævidente Medico judicantur morbi, pro diverſâ ætate, temperie, ſexu, vivendi genere ſinguli peculiarem & ſibi familiarem excretionis modum affectantes, die non tantùm critico dicto & impari, ſed pari & tyranno. Hanc autem vel tempeſtas, vel rerum non naturalium uſus, vel impendentis caſus, vel ipſa morbi conditio ac natura retardant aut accelerant, undè varium atque indefinitum redditur criſeos tempus. Dùm natura cum morbo (licèt eodem ſecundùm ſpeciem) congreditur, & humorem craſſiorem aut tenuiorem: catullientem, aut torpentem: paucum aut copioſum invenerit, fuerintque faventia vel repugnantia τὰ ἔξωθεν. Hac vel illa hebdomada: citius, ſerius: die pari, impari: mane, veſperi: noctu, interdiu: hac vel illa hora conflictum abſolvit.

Ergò diverſo judicantur tempore, qui iidem ſunt ſpecie morbi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta Martinenq.
M. Joannes Henricus Imbert, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Franciſcus Pouſſe.
M. Thomas-Bernardus Bertrand.
M. Ægidius Adam.
M. Camillus Falconnet, Regiæ utriuſque Aulæ equeſtris Medicus honorarius.
M. Franciſcus Afforty, antiquus Facultatis Decanus.
M. Germanus Preaux, Profeſſor Regius.
M. Joannes Cordelle.

Proponebat Lutetiæ JOANNES-MATTHÆUS LE BERT, Pariſinus, Baccal. Medicus, A. R. S. H. MDCCXV. à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.